



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 57. Fecialis Regis Angliæ ad Ludovici partes pertractus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

jam longius in Autumnum procurrat, & Sæcul. XV.  
A.C. 1475.  
Burgundi vires annali Novesii obsidione  
attritæ sint, haud magnos ausus amplius  
efficere possit: Connestabilis vero, ut novo  
bello Franciam opprimeret, viribus lon-  
ge impar est: insuper hic nonnisi pacis  
turbator, fallax & subdolos homo, alio-  
rum gratiam aucupatur, amicos sibi con-  
ciliat, atque ab omnibus timeri unice  
exoptat, postremo tamen ad illius castra,  
in quo ampliorem privati sui commodi  
quæstusque spem sibi pollicetur, transire  
paratus est; nil familiarius habet, quam  
nunc horum, mox aliorum partes sequi,  
omnium vero crumenas exhaurire prima  
illius cura est, ut demum ipse solus cum  
aliorum dispendio ditescere possit.

## §. LVII.

*Fecialis Regis Angliæ ad Ludovici  
partes pertractus.*

Plura alia Ludovicus dicebat, Fecialem Commin. ibid.  
Anglum inducturus, ut Regem suum  
ad pacem cum Gallis ineundam permo-  
veret: Nec leve etiam verbis suis mo-  
mentum adjecit, dum Jartierum trecen-  
torum aureorum dono, ac triginta ulnis  
amphimalli rubro colore tincti munere  
auxit, spe facta, se eidem pace firmata,  
insuper mille aureos donaturum. Regi  
Jartierus reposuit, se quidem minime suis  
parti-

Sæcul. XV.  
A. C. 1475.

partibus defuturum, ut Franciam inter & Angliam pax redderetur, opportunum tamen tempus exspectandum fore, donec Rex ejus Dominus mare trajecisset; exscensione autem facta, protinus fecialem esse ablegandum, qui pro Legatione ad Eduardum Regem decernenda publicæ fidei literas impetraret. Nec tamen primo Regem adeundum esse, sed ante omnia Hawarti & Stanlaji opera utendum; ad horum enim præscripta rem a Feciali Gallo esse pertractandam. Placuit Ludovico consilium, quare Comminæo negotium dedit, ut hunc Eduardi deputatum, præcisa cum quocunque alio seorsim conferendi copia, ipse solus familiari colloquio atque obsequio semper fovere studeret, donec is adlectis viæ sociis in Angliam deduceretur.

§. LVIII.

*Regis Angliæ adventus Caletum.*

Interea Rex Angliæ Dubri Caletum trajecit, ac trium hebdomadarum iter confecit; quamvis hæc urbes non nisi septima inter se leuca distarent. Hunc advenisse, cum Burgundus intelligeret, protinus eum convenit, paucis duntaxat Nobilibus stipatus; hanc ob rem remissius & nullo ferme sermone ambo sese mutuo salutabant, eoquod Angli Burgundiæ